Master Negative #
93-81613-15

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record


Kiessling, Adolf, 1837-1892.
...Adolfi Kiessling Commentatio Horatiana de Carm. IV,8. Gryphiswaldiae, typis Frid. Gvil. Kvnike, 1874.
6 p. 26 cm.


At head of title: Index scholarvm in Vniversitate litteraria Gryphiswaldensi per semestre hibernvm anni MDCCCLXXIV-LXXV...

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/27/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT








AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202





MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE HIBERNVM

ANNI MDCCCLXXIV—LXXV

A DIE XV MENSIS OCTOBRIS

HABENDARVM.

INEST

ADOLFI KIESSLING COMMENTATIO HORATIANA DE CARM. IV 8.

GRYPHISWALDIAE

TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE.

MDCCCLXXIV.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

FRIDERICUS GROHE

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Horatianae criseos rationes quot et quantas hac aetate subierint mutationes vix aptiore demonstrari potest exemplo quam octavo libri quarti carmine. Qui enim in eo primus offendit Bentleius, is in uno tantummodo haesit versu septimodecimo, quem quoniam et caesurae leges et rerum veritatem ab Horatio violatam esse animadvertit ut spurium damnavit. Tum Lachmannus [*Philologus I p.* 164 *sq.*] graviori illud carmen corruptela affectum esse intellexit, cum solo hoc exemplo quaternarium versuum numerum, qui in Horatii strophis lyricis est legitimus, excedere poetam videret. Itaque longius progressus sexta fere versuum parte resecata reliqua ad sanitatem non solum sibi ipsi reduxisse videbatur, sed iis quoque qui post eum Horatii verba cum cura ediderunt, Meinekio Hauptio Muellero. Tertius denique — nam Godofredi Hermanni commenta [*Berichte der Sächs. Ges. d. Wiss. I p.* 274 *sq.*] quamvis nonnulla recte contra Lachmannum monuerit audaciora sunt, Gruppii vero placita temeraria omnino nihil curo — tertius itaque extitit Lehrsius, qui propter sententiarum nexum et ordinem, quem fere nullum esse sensit, totum carmen ut Horatio indignum in falsarii cuiusdam officina effictum esse censuit. Cumque perraro mihi contigerit ut τοῦ Ὁμηρικωτάτου decretis Horatianis subscribere possim, eo libentius hac in re Lehrsium verum vidisse fateor, quo certiore ratiocinatione Horatium carmen ad Censorinum non modo scripsisse sed ne potuisse quidem scribere demonstrare posse mihi videor.

Atque ordiendum est ab ipsa Censorini persona cui poeta se carmen donare velle profitetur. Eum ex Marciorum gente ortum esse docemur inscriptione quae in codicibus Fλ — Kelleri siglis utor — praefixa est. In his enim codicum Fλ praescriptis hic illic vetustae doctrinae vestigia haud temere spernenda adparere patet ex eis quae aliis locis de M. Aristio Fusco [*I* 21], de Valgio Rufo [*II* 9], de Licinio Murena [*II* 10] referuntur. Is autem Marcius Censorinus vix

alius esse potest nisi C. Marcius L. f. Censorinus cos 746 — quo ipso anno Horatius mortuus est — qui postea Asiae praefuit 755 vel 756 [*Waddington fastes des provinces Asiatiques* in *Lebas Voyage archéologique II* 3, 2 *p.* 689] cuiusque mortem immaturam deflet Velleius [*II* 102]:

> *Quo tempore M. Lolli, quem veluti moderatorem iuventae fili sui Augustus esse voluerat, perfida et plena subdoli ac versuti animi consilia per Parthum indicata Caesari fama vulgavit; cuius mors intra paucos dies fortuita an voluntaria fuerit ignoro. Sed quam hunc decessisse laetati homines, tam paullo post obisse Censorinum in iisdem provinciis graviter tulit civitas, virum demerendis hominibus genitum.*

Quid vero? sicut hic Lollii Censorinique memoria copulata est, nonne consimili ratione apud Horatium utriusque viri laudes ita coniunctae sunt ut carmen, quo Musam Censorinum caelo beaturam auguratur, excipiat grandiloquum illud praeconium, quo se Lollii labores oblivionem impune carpere passurum non esse spondet? Mira sane res, quae cum casu accidisse nequeat, triplici ratione explicari posse videtur. Aut enim Velleius Horatianorum carminum memor Lollii morti Censorini memoriam addidit, aut Horatius sive is qui lyrica Horatii carmina in ordinem redegit propter Velleium Censorini cum Lollii laudes coniunxit, aut uterque scriptor et Horatius et Velleius una eademque caussa permoti, quae alia fuisse vix potuit nisi mortes Lollii Censorinique et tempore et loco similes, duorum virorum memoriam composuerunt. Atque primam rationem tuetur Lachmannus [*l. l. p.* 166]:

> *Gleichwohl verdanken wir dieser ode die nachricht von seinem tode. Wenigstens kann man nicht sehen warum Vellejus Paterculus 2, 102 den tod des Censorinus mit dem des Lollius zugleich erwähnt hat wenn ihm nicht etwa, da sie fast gleichzeitig im Orient starben, einfiel, dass Horaz an sie zwei auf einander folgende oden gedichtet hatte.*

Omitto quod in temporum et locorum affinitate iam satis caussae esse videtur cur rerum scriptor duorum virorum clarissimorum mortes una rettulerit, verum gravius est quod Velleium Horatii carmina tam accurate novisse et in mente animoque habuisse verisimile non est. Ostendi iam ante aliquot annos Horatii lyrica primis imperatorum temporibus non admodum lecta esse: Velleius quanto studio Romanae lyrae fidicinem coluerit patet ex recensu summorum Augusteae aetatis ingeniorum quem II 36 instituit: *Paene stulta est inhaerentium oculis ingeniorum enumeratio, inter quae maxime nostri aevi eminent princeps carminum Vergilius Rabiriusque et consecutus Sallustium Livius Tibullusque et Naso perfectissimi in forma operis sui* ubi quod Horatii mentio facta non est indignum sane videri, potest sed mirari vix licet. Itaque ne Censorini quidem memoriam apud Velleium Horatio deberi veri est simile, sed statuendum potius aut ordinem carminum vel propter Velleium, quod credibile non est, — quis enim legit Velleium? — vel statim post Censorini obitum esse immutatum, aut carmen ipsum post Censorini Lolliique mortes compositum esse.

Vides igitur carminis aut sedem aut verba ab ipso Horatio profecta esse non posse. Atque si optio detur in priorem sententiam abire mallem ut carminum ordinem genuinum hic turbatum esse statuam, nisi alia obstaret difficultas in versibus 13 sq.

Non incisa notis marmora publicis,
Per quae spiritus et vita redit bonis
Post mortem ducibus ....
.... clarius indicant
Laudes, quam Calabrae Pierides.

Haec enim verba quominus ad statuas imaginesve referamus, quibus efficitur ut clari viri post mortem spirare ac vivere videantur, vetat incidendi notio quae nulla ratione ad signa exsculpta quadrat. Immo de tabulis honorariis publice positis cogitandum est, minime vero de sepulcralibus titulis vel monumentorum inscriptionibus, quas Romae plurimas ab hominibus privatis ad laudes maiorum extollendas in publico expositas esse notares est. Eum autem morem ut in clarorum virorum honorem tituli publice inciderentur primus instituit Augustus, cum in foro prope Martis Ultoris aedem porticum duplicem ducum veterum statuis triumphalibus compleret. Cuius rei locuples testis est Suetonius [*Aug.* 31] qui haec tradit:

> *Proximum a dis immortalibus honorem memoriae ducum praestitit, qui imperium populi Romani ex minimo maximum reddidissent. Itaque et opera cuiusque manentibus titulis restituit et statuas omnium triumphali effigie in utraque fori sui porticu dedicavit, professus edicto commentum id se ut ad illorum velut exemplar et ipse, dum viveret, et insequentium aetatium principes exigerentur a civibus.*

His vero statuis subiuncta fuisse elogia et reliquiae eorum [*C. I. L. I. p.* 277 *sq.*] demonstrant et ea scriptorum testimonia quae composuit Mommsenus [*l. l. p.* 281]. Is enim Horatii verba ad hoc Augusti institutum spectare recte intellexit simulque vidit ea non bene conspirare cum tempore quo Martis aedem dedicatam esse scimus. Nam dedicationem templi factam esse Kalendis Augustis [*Mommsen* in *C. I L. I. p.* 393] a. u. c. 752 discimus ex Velleio [*II.* 100] et Cassio Dione [*LV* 10 *LX* 5], qui annus est sextus post mortem Horatii, undecimus vero ex quo quartus carminum liber a poeta editus esse creditur. Atque forsitan crediderit quispiam hanc difficultatem Suetonii testimonio posse removeri, quo forum ante aedem ipsam publicatum esse docemur: [*Aug.* 29] *Fori extruendi causa fuit hominum et iudiciorum multitudo, quae videbatur non sufficientibus duobus etiam tertio indigere; itaque festinatius necdum perfecta Martis aede publicatum est.*

At per se verisimilius est haec statuarum triumphalium ornamenta extremo demum tempore esse proposita cum summa operis iam perfecta esset. Accedit quod totum illud institutum, quo bonorum ducum virtutes celebrabantur, cum ipsius Martis sacro potius coniunctum esse debuit quam cum reliqua operis parte, quae negotiis forensibus erat destinata. Itaque porticus quoque una cum aede dedicatas esse probabile est. Forum denique ipsum quamvis festinatius non ante 748 a. u. c. publicatum esse, inde colligi potest, quod apud Cassium Dionem accurate talia referentem huius rei mentio alio loco extare non potuit, nisi in quadriennii 748—751 narratione, quam nunc quidem propter hiatum post LV 9 desideramus. Commotus autem esse potuit Augustus ut forum semiperfectum aperiret, quod basilica Iulia, quam postea filiorum Gai et Luci nomine refecit [*Mon. Anc.* 4,15], magno illo incendio quo plurima circa forum aedificia interierunt a. u. c. 747 [*Cassius Dio LV* 8] consumpta esse videtur.

Haec omnia si reputaverimus adducimur, ut ante annum 748 statuarum titulorumque ab Augusto prope Martis aedem dedicatorum mentio fieri vix potuerit. Itaque hac quoque ratiocinatione sententia commendatur eorum qui laudes Censorini post Horatii demum mortem conceptas esse statuunt.